



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LXIII. An Deus cognoscat actu infinita, non solum possibilia, sed
etiam futura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Conclusio est, Deus non solum cognoscit infinita possibilia, sed etiam futura: cuius doctrinam sequenti disp. examinabimus.

DISPVT. LXIII.

An Deus cognoscat actu infinita, non solum possibilia, sed etiam futura.

Opinio Almaini, & recentiorum. cap. 1.

Sententia opposita probabilior. cap. 2.

Respondetur argumentis prioris sententiae. cap. 3.

CAPVT I.

Opinio Almaini, & recentiorum.

I
Quid sit
apud omnes
certum.

Durand.
Almain.
Opinio quo-
rundam.

Probatur
prima.

Secundo.

Tertio.

S. Thom.
testimonium.

OMnibus Scholasticis certissimum est, possibilia omnia, futura à Deo cognosci, tametsi ex Scholasticis nonnulli arbitrentur, non omnia, adhuc futura, si comprehendas cogitationes futuras, & operationes omnes, à Christi anima cognosci: de quo in 3. p. q. 10. art. 3. dicemus. An vero Deus, dum omnia simul possibilia, & futura intelligit, infinita actu cognoscat, inter Scholasticos magna questionis est. Ex quibus *Durand.* in 1. d. 39. q. 2. & *Almain.* in 3. d. 14. q. 1. post prim. conclus. quos multi ex recentioribus sequuntur, tametsi dicant, Christi animam cognoscere non solum omnes futuras substantias, & individua earum, sed etiam omnes cogitationes, & operationes hominum, & Angelorum in æternum futuras: affirmant nihilominus, non cognoscere infinitum actu, quod Logici categorematice infinitum appellant; sed infinitum in potentia, quod infinitum syncategorematicè vocant: atque idem de ipsa deitate dicere debent, ab ea nimirum non cognosci infinitum actu. Cumque hanc opinionem nullus alius ex antiquis Scripturibus sequatur, nunc in scholis recentioribus Theologis plausibilis admodum est, non tantum, cum de scientia animæ Christi, sed etiam cum de scientia ipsius deitatis loquuntur. Eam vero probant hoc modo, primo, eodem modo res cognoscuntur, quæ sunt, futura autem sunt infinita in potentia, & non actu infinita: de his enim dicere possumus, non sunt tot futura, quin plures esse possint, quæ videtur definitio infiniti in potentia: ergo Deus solum cognoscit infinitum in potentia. Secundo si Deus cognosceret res possibiles aut futuras actu infinitas, ab eo fieri posset infinitum actu, quod videtur absurdum. Tertio de scientia visionis, tam de Christo, quam de Deo, probatur, non posse cognosci infinita actu, quoniam hæc scientia tantum est futurorum. nunquam autem erunt futura infinita actu, sed tantum in potentia, ergo Deus, aut anima Christi hoc modo non cognoscat infinita actu, sed infinita in potentia, id quod de anima Christi videtur tradidisse *S. Thom.* 3. p. q. 10. art. 3. cum asserit, animam Christi ea scientia, quæ respicit ens in actu, non cognoscere infinita, etiam si accipiantur secundum quodcunque tempus: ex quo concedere videtur, hæc scientia solum sciri ab anima Christi infinita in potentia.

CAPVT II.

Sententia opposita probabilior.

Inter antiquiores Scholasticos non video de hac re ullam esse controuersiam, sed quotquot huius questionis meminerunt, plane asserunt, Deum cognoscere infinita, tam rerum possibi-

lium, quam futurarum. Opinio est *S. Thom.* in hoc art. 12. & *Caetan.* ibidem. & *contra gen.* c. 69. & *Forer.* *Caetan.* ibid. præsertim circa finem. *Bonau.* in 1. d. 39. art. 1. q. 3. in *terrar.* solut. argumentorum, *Ricard.* art. 1. q. 2. *V. Valens.* loco *Bonau.* inferius citando; qui, nulla facta distinctione, abcolu- *Ricard.* te docent, Deum cognoscere infinitam multitudi- *V. Valens.* nem, in qua nec est prima, nec vltima: quare frustra distinguunt Doctores prioris sententiae, & solum Deo concedunt cognitionem infinitam multitudinis in potentia. Quod vt intelligamus, & nostram sententiam melius explicemus, duo notanda sunt.

Primum, obseruanda plurimum est doctrina *Observatio* *Aristot.* 3. physico. cap. 6. qui duo generis infiniti, *Prima* *Arystot.* assignat, alterum infiniti in potentia, alterum in actu, quam differentiam auctores prioris sententiae confundere plane videntur. Inquit itaque Arist. infinitum in potentia, quod putat esse in rerum natura, tale esse, vt nunquam euadat actu infinitum; sed esse sicut Ludum Olympicum, & dici: talis inquam natura, quod partim fiat, & partim fieri possit; sic enim rei, quæ fir. & actu quidem finita est, quia illud, quod actu illius est, finitum est, fieri potest additamentum sine termino, si illius naturam solum attendamus: veluti ludo Olympico, & diei, quæ reuera finita sunt, addi potest aliquid sine termino: definit igitur Arist. infinitum in potentia his verbis. *Vt semper aliud, atque aliud sumatur, & id quod sumitur siquidem finitum, at aliud, atque aliud semper, ac si dicat, infinitum in potentia est illud, cuius id, quod actu est, finitum est, quod significauit illis verbis, Et id quod sumitur, siquidem finitum: sed illud, quod addi potest, sit in potentia, potentia quæ ex Aristot.* quod de notauit illis verbis, Et aliud, atque aliud semper, hoc est, semper superest addendum; sed nondum acceptum, & coniunctum sit multitudi: quocirca Aristot. eo capite plane concedit, infinitum in potentia esse nunc in rerum natura, ips enim res, quæ sunt actu in multitudine finita, vt hominibus, lapidibus, &c. addi possunt plures in infinitum, aut generatione, aut diuisione continui, qui tamen actu non sunt: nam si illa, quæ addi possunt in infinitum, actu essent, & sine termino addi possent, esset sane infinita multitudo actu, vltimum patebit.

Denique eodem cap. Arist. adducit illam definitionem, Cuius nihil est extra, quam quidam putabant esse infiniti, & inquit, eam esse definitionem non infiniti, sed perfecti: est enim perfecti de ac si dicamus, Cui nihil deest, & subiungit definitionem infiniti his verbis, Cuius aliquid semper extra, hoc est, cui semper addi potest aliud: & hanc putat esse definitionem infiniti in potentia: illud enim, quod est extra, debet esse in potentia, non actu coniunctum multitudini, alioqui esset iam actu infinitum.

Est igitur infinitum in actu, quod Aristot. eo cap. *Aristot.* ab infinito in potentia distinxit, & dixit, non esse *infinitum in actu.* in rerum natura, saltem in rebus corporeis, sicut de infinito in potentia dixerat, multitudo rerum, quæ simul sunt, in qua non potest prima, & vltima accipi, aut assignari. Alter vero ego quidem non video, quomodo hæc duo infinita distinguantur. Nam si infinitum in potentia dicatur illud, cuius accipientibus aliquid semper restat accipiendum, vt quidam asserunt, & illud, quod superest accipiendum sit actu in ipsa multitudine, vt solum superesse dicatur accipiendum numeratione per intellectum; certe hoc modo nullum erit infinitum

rum actu, distinctum ab infinito in potentia: quare sicut Arist. concedit in rerum natura infinitum in potentia, concedit etiam infinitum in actu. Ergo dicendum est, infinitum in actu, esse multitudinem rerum actu collectarum, in qua accipientibus aliquid, superest semper aliquid numeratione accipiendum: quod perinde est, atque in ea multitudine unitatem primam, & ultimam non posse enumeratione designari, & hæc de priori.

Deinde notandum est, fuisse errorem Wicel. si, ut refert *Waldens. r. tom. lib. i. art. i. c. 14.* non esse infinitam multitudinem eorum, quæ Deus non fecit, & potest facere. Quare videtur ille certo quodam numero concludere omnia, quæ Deo possible sunt: id quod errorem putat manifestum Waldens. loco allegato. Quis enim dicat, in hominum multitudinem possibilem, ex qua Deus indies addere posset plures alios ijs, quos creauit, esse ultimum hominem, eamque totam certo numero definire? His positis, quæ mea videtur sententia, nullus inficiari potest, nisi de voce potius, quam de re contendere velit, probatur nostra opinio hac ratione. In ea multitudine, quam Deus simul in suo conspectu habet, siue ea sit rerum possibilem, siue futurarum, nulla habita ratione aliarum, quæ illi multitudini addi possunt, non possumus assignare primam, & ultimam: ergo est multitudo actu infinita. Eo enim diximus differre multitudinem potentia infinitam ab ea, quæ actu infinita est: quod illa quidem consideratis unitatibus, quas in se tunc complectitur, est actu finita, & habet primam, & ultimam: quia tamen potest ulterius ei aliquid addi, & inter ea, quæ ei addi possunt, non est ultima, dicitur infinita in potentia. Multitudo vero actu infinita ea est, quæ in se considerata, inter ea, quæ in se eodem modo habet, siue additamento alicuius alterius non habet primam, & ultimam, nec numerando assignari possunt. At multitudo rerum possibilem, aut futurarum, quæ simul cognita in conspectu Dei est, nullo ipsi adueniente aliunde, sed illis solum unitatibus, consideratis, quas habet eo modo, quo simul in intellectu Dei sunt, non habet primam & ultimam: ergo est actu infinita, non in potentia. Nam infinitum potentia partim debet esse actu, atque ea parte finitum; partim debet esse in potentia, quia sit in potentia aliquid addendum, atque ea parte sine termino & fine: quocirca non habet omnes unitates eodem modo, sed quasdam actu, quasdam potentia. In ea vero multitudine, quam Deus cognoscit, omnes quidem unitates sunt eodem modo: quare aut tota multitudo debet dici actu esse, aut tota in potentia: non autem partim actu, partim in potentia. Quod si dicas, totam multitudinem earum rerum esse in potentia, quia vnaquæque illarum est in potentia, & ita esse infinitam multitudinem in potentia, certe eadem ratione diceretur multitudo hominum, quæ usque ad finem mundi futura est finita, non actu, sed potentia; at hoc ridiculum est: sicut igitur non dicitur actu finita multitudo ex eo, quod res, & unitates actu existant, sed quia certo aliquo numero usque ad ultimam unitatem numerari potest ab aliquo intellectu, etiam si res actu non existant: sic etiam nihil obstat, quo minus dicatur infinita, aut multitudo rerum possibilem, aut futurarum, quod res illæ actu extra intellectum non existant, quoties omnes unitates simul in ea sunt eodem modo, ut sunt simul in

intellectu Dei, & in illis prima & ultima assignari nequit.

Præterea cum dicimus, eam multitudinem esse infinitam actu, non dicimus, eam esse rerum existentium actu, est enim possibilem, & futurarum tantum: sed asserimus in ea sic accepta, & intellecta etiam ab ipso Deo, non esse ultimam, quæ possit numerando assignari. Cum etiam quærimus, an sit actu infinita multitudo, inquirimus de illa, ut est in intellectu Dei actu intellecta, cui ulterius fieri non potest additamentum: cum deus nihil aliud extra totam illam amplius cognoscere possit: ergo cum actu omnia cognoscit, dicimus, multitudinem actu cognitam esse infinitam actu in intellectu Dei, non in rerum natura.

Atque hoc maiorem vim habet in opinione eorum, qui putant, in æternitate, futura omnia simul esse reali quadam presentia. Sic enim futurorum multitudo tota simul erit: quod si in ea non est prima, & ultima, ad quam numerando possit aliquis peruenire, sequitur esse infinitam actu, & simpliciter: cum autem Arist. appellauit infinitum in potentia, idque esse in rerum natura dixit, significauit solum multitudinem illarum rerum, quæ actu existunt, & secundum se, ut actu existunt, finitæ sunt, si considerentur, quæ ei possunt addi ex ijs, quæ possible sunt, esse infinita potentia. Est igitur ex sententia Arist. illa multitudo infinita in potentia, quæ actu in se non habet ea, quæ ipsam facere debent infinitam, sed ei potest accedere sine termino alia, & alia noua unitas. At multitudo rerum, quæ est in intellectu Dei, non sic se habet: sed actu continet in intellectu illius, quicquid potest habere, & ex ijs, quæ actu habet, non potest prima, & ultima unitas assignari: ergo est actu infinita.

Postremo, si ea omnia, quæ Deus cognoscit possible, aut futura, simul faceret; nemo dubitaret dicere, esse multitudinem infinitam actu, & simpliciter: ergo eum de illa inquirimus, ut est simul tota actu in intellectu Dei, idem dicere debemus, est enim in ratione multitudinis eadem omnino.

Hanc vero infinitam rerum possibilem multitudinem optime à Deo cognosci, non solum docuit Aug. 18. de ciuit. Dei, cap. 12. sed etiam eam ab intellectu diuino ineffabili modo finiri; quia ab eo comprehenditur. Omne enim quod scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, inquit Augustinus; id quod hac ratione intelligendum est, non quod Deus illam multitudinem ita finiat, ut in ea terminum inueniat primam, & ultimam unitatis: id enim infinitæ multitudini repugnat: sed quia totam illam intra scientiam suam ita concludit, & complectitur, ut nihil extra illam sit: quod autem est intra aliud, eo tanquam termino eludente, & finiente finiri videtur. Hoc vero dixit contra quosdam Philosophos, qui falso putarunt, non esse infinita possible, quæ à Deo possent fieri. Quia si infinita essent, non possent illa à Deo certa scientia cognosci, & ita per infinitam æternitatem, in qua putabant Deum non fuisse otiosum, sed semper operatum, aliqui dicebant non noui semper fecisse, sed reperisse antiqua, & iterasse: ne dicere, ea casu fecisse: ergo docet Augustinus infinitam esse rerum multitudinem, quam ita Deus comprehendit, & certa scientia cognoscit, ut ea etiam finire dicatur, eo modo, quem exposuimus.

Futuras porro cogitationes esse infinitas nemo dubitat,

Propria sententia confirmatur, & declaratur.

Confirmatur secundo.

Confirmatur ultimo.

Augustinus testimonium.

In infinitam rerum multitudinem cur dicat Dei comprehensione finiri.

10
Deus cognoscit cogitationes futuras actu infinitas.

dubitat, qui credit animas, & Angelos beatos, & damnatos in æternum duraturos: sic enim non semper in eadem cognitione permanebunt, præter Beatos in clara Dei visione. Quare opus est infinitas, hoc est, sine fine & vltima futuras esse cognitiones: eas vero esse infinitas actu, eisdem rationibus, quibus demonstrauimus possibiles etiam esse actu infinitas, probandum est.

CAPVT III.

Respondetur argumentis prioris sententia.

Solutio ad primum.

EX dictis facile dilui possunt rationes prioris opinionis. Ad primam dico illam infinitam multitudinem (de qua dicere possumus, non sunt in ea tot vnitates, quin plures, & plures, sine fine addi possint, ita, vt illud quod potest addi, nondum intelligatur actu coniunctum) esse quidem infinitam in potentia: quia illud, quod addendum est, nondum est additum, sed addi potest: at ea multitudo, in qua, ex ijs, quæ sunt in ea, propterea de ipsa loquimur, non possumus tot numerando accipere, quin plura ex ijs quæ eodem modo in se continent, addere possumus, & accipere, est infinita actu: quia illud, in quo non est vltima unitas, eodem modo reliquæ multitudini coniunctum est. Cum ergo in multitudine rerum possibilem, aut futurarum, quatenus in intellectu diuino sunt, hoc eodem modo vltima assignari non possit: sed semper possimus numerando aliam, & aliam accipere, erit eo modo, hoc est intellectu Dei actu infinita, licet non existat in rerum natura multitudo actu infinita.

11
Solutio secundæ.

Ad secundum respondeo, nihil ob stare, quominus Deus, si vellet, faceret infinitam rerum multitudinem, quam cognoscit, non solum spirituum, sed etiam corporearum rerum, vt late ostendi supra disputatione 26. vbi etiam monstrui, multa argumenta, quibus solet probari, multitudinem infinitam à Deo fieri non posse non minus contra scientiam Dei pugnare, quam contra infinitam multitudinem si in rerum natura dicitur esse, quæ, vt vno verbo dicam, cum aduersarij asserunt, Deum cognoscere infinita in potentia, & actu, ne cogantur dicere, Deum posse facere infinitam multitudinem actu, saltem concedant nobis, omnia illa, quæ cognoscit Deus, posse simul ab eo fieri. Nam quis neget, infinitum in potentia posse fieri; quod si dicant fieri non posse, vt illa multitudo, quam Deus cognoscit, re ipsa producat, quia quod erat infinitum in potentia in scientia Dei, iam efficeretur infinitum actu productum: præterquam, quod sine fundamento dicitur, quia eademmet esset multitudo, quam cognoscit Deus, & quam produceret; sequitur, saltem argumentum semper manere in suo robore ad probandum, Deum posse facere infinitam multitudinem: quia eam cognoscit distincte, & clare; & tam potens est ad cognoscendum, quam ad faciendum de quo plura diximus loco citato. Caietanus conatur discrimen constituere inter scientiam Dei, vt cognoscatur infinita, & potentiam, vt infinita non faciat. Quoniam in scientia Dei ea vniuntur, quæ inter se alias essent diuisa: in effectu vero & productione diuiduntur. Sed ex hoc non potest aliqua inferri contradictio, si à parte rei sit infinita rerum multitudo, quæ non sequatur ex eo, quod sit in scientia Dei, vt eo loco

12
Caietani solutio infinitæ.

ostendimus: atque adeo vnum ex alio recte sequitur.

Ad tertium dico, licet in nullo tempore signato futuro res futurae sint infinitæ; sed vique ad quodlibet signatum sit futura tantum finita multitudo: tamen in tota temporis congerie futura, quam simul Deus in sua scientia habet, est multitudo infinita tamen nunquam illa sit reducenda ad actum, ita vt tota simul aliquando sit præterita: quod si in tempore simul omnia futura essent præsentia, sicut sunt in scientia Dei cum tota temporis successione, sine dubio infinita esset multitudo.

Quod vero dixit S. Thom. de scientia Christi, nimirum eum non cognoscere infinita ex ijs quæ sunt in aliqua differentia temporis futura, plane intelligit de substantijs, quæ generantur, & corrumpuntur: hæc namque futura sunt finita: quia duratura solum est generatio vique in finem seculi; non de cognitionibus, quæ in æternum multiplicari debent, vt docuit Petrus Bergom. in concordantijs locorum S. Tho. dub. 477. & in 3. parte q. 10. art. 4. dicemus: & quamuis reuera de cognitionibus etiam loqueretur S. Thom. id solum probaret, animam Christi ex sententia S. Thom. non cognoscere infinitas cogitationes, de quo ibidem erit controuersia: nunc autem agimus de scientia Dei, qui sine ulla controuersia omnia cognoscit: denique quod asserit ea, quæ futura sunt in quacunque temporis differentia esse finita, etiam si de cognitionibus intelligamus, verissimum est, vt prædiximus: at vero quæ futura sunt in tota temporis congerie, quæ etiam sine caret, finita esse nequeunt: & cum totam simul Deus suo intellectu complectatur, fit, vt infinitas etiam cognoscat cogitationes.

Sed arguit Dur. in 1. d. 39. q. illa 2. vt probet, non cognosci à Deo multitudinem infinitam actu: sed solum infinitam potentia, hoc modo: quia ratione Deus cognoscit infinitas cogitationes futuras, cognoscit infinitam diuisionem continui, ac proinde videt ipsum continuum diuisum in omnem partem: sed non cognoscit omnem diuisionem continui, vel ipsum diuisum in omnem partem actu, sed potentia: ergo nec cogitationes infinitas actu, sed potentia: nam si Deus cognosceret continuum diuisum actu, vel cognosceret ipsum diuisum in omnes singulas partes, non diuisibiles amplius, & hoc fieri non potest, quia continuum non potest diuidi in indiuisibilia, cum ex illis solum non constet, sed in semper diuisibilia, aut in partes diuisibiles, & sic non esset diuisum actu, sed in potentia, in omnem partem: & ita probata manet minor propositio.

Respondeo, cum Deus cognoscat res, vt sunt, & id, quod in re esse nequit, à Deo non cognoscatur, ac si esset, fit vt cogitationes singule in quouis temporis differentia, imo in tota congerie temporis futuri à Deo certo scientur: & quia singule inter se futurae sunt distinctæ, & inuicem separatae, & vnaquæque nec cum alia coniuncta sit, nec amplius diuidi possit, cognoscit infinitas vltima diuisione sigillatim diuisas: non sic potest cognoscere continuum actu diuisum in omnem partem: licet optime ex continuo possit infinitas partes suo intellectu separare: quia nulla diuisio in omnem partem est possibilis, vt ex ratione superius facta colligitur: & ita à Deo non potest, tanquam facta, cognosci: quod enim non est, non scitur, potest ta-

13
Tertia solutio.

14
Bergom.

Argumentum, Duran. ex diuisione continui.

14

Solutio.

me n

men multitudine infinita partium communican-
tium ex continuo à deo extrahi, ita tamen, vt in
singulis maneat infinita diuisibilitas, & multitudine
partium in potentia separabilis, sed nondum sepa-
rata. Est igitur diuersus modus cognoscendi infi-
nitas cogitationes. & diuisionem continui, in suas
partes: quare id, quod assumit durand. in maiori
propositione, falsum est: ratio vero discriminis ex
dictis perspicue patet.

ARTICVLVS XIII.

Verum scientia Dei sit futurorum contingentium.

AD decimumtertium sic procedi-
tur. Videtur, quod scientia Dei
non sit futurorum contingen-
tium. A causa enim necessaria procedit
effectus necessarius: sed scientia Dei est
causa scitorum vt supra dictum est. Cum
ergo ipsa sit necessaria sequitur scita eius
esse necessaria: non ergo scientia Dei est
contingentium.

2. Præterea. Omnis conditionalis, cu-
ius antecedens est necessarium absolute,
consequens est necessarium absolute. Sic
enim se habet antecedens ad consequens,
sicut principia ad conclusionem. Ex prin-
cipijs autem necessarijs non sequitur con-
clusio nisi necessaria, vt in 1. Postea proba-
tur. Sed hæc est quedam conditionalis ve-
ra; si Deus sciuit hoc futurum esse, hoc
erit, quia scientia dei non est nisi vero-
rum. Huius autem conditionalis antece-
dens est necessarium absolute: tum quia
est æternum: tum quia significatur vt præ-
teritum. Ergo, & consequens est neces-
sarium absolute. Igitur quicquid scitur à
Deo est necessarium. Et sic scientia Dei
non est contingentium.

3. Præterea. Omne scitum à deo ne-
cesse est esse: quia etiam omne scitum à
nobis necesse est esse, cum tamen scientia
dei certior sit, quam scientia nostra; sed
nullum contingens futurum necesse est
esse. Ergo nullum contingens futurum est
scitum a deo.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. 32.
Qui finxit sigillatim corda eorum, qui in-
telligit omnia opera eorum, scilicet homi-
num. Sed opera hominum sunt contingen-
tia, vt pote libero arbitrio subiecta. Ergo
Deus scit futura contingentia.

Respondeo dicendum, quod cum su-
pra ostensum sit, quod deus scit omnia,
non solum, quæ adu sunt, sed etiam, quæ
sunt in potentia sua, vel creatura: horum
autem quedam sunt contingentia, nobis
futura, sequitur quod Deus contingentia
futura cognoscat. Ad cuius euidentiam
considerandum est, quod contingens ali-
quod dupliciter potest considerari. Vno
modo in seipso, secundum quod iam in
Vasquez in 1. parti. Tomus I.

actu est: & sic non consideratur vt futu-
rum, sed vt præsens, neque ad vtrumlibet
contingens, sed vt determinatū ad vnum:
& propter hoc sic infallibiliter subdi po-
test certæ cognitioni, vt pote sensui vilius;
sicut cum video Socratem sedere. Alio
modo potest considerari contingens, vt
est in sua causa. Et sic consideratur vt fu-
turum, & vt contingens nondum deter-
minatum ad vnum: quia causa contingens
se habet ad opposita, & sic contingens non
subditur per certitudinem alicui cog-
nitioni. Vnde quicumque cognoscit esse-
ctum contingentem in causa sua tantum,
non habet de eo nisi coniecturalem cog-
nitionem. Deus autem cognoscit omnia
contingentia, non solum prout sunt in suis
causis, sed etiam prout vnumquodque
eorum est actu in seipso. Et licet contin-
gentia fiant in actu successiue, non tamen
Deus successiue cognoscit contingentia
prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul:
quia sua cognitio mensuratur æternitate,
sicut etiam suum esse. Æternitas autem
tota simul existens ambit totum tempus
vt supra dictum est. Vnde omnia, quæ sunt
in tempore, sunt Deo ab æterno præsen-
tia, non solum ea ratione qua habet ratio-
nes rerum apud se præsentis, vt quidam
dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab
æterno supra omnia prout sunt in sua præ-
sentia. Vnde manifestum est quod
contingentia, & infallibiliter à Deo co-
gnoscentur in quantum subduntur diuino
conspicui secundum suam præsentia-
tem & tamen sunt futura contingentia
suis causis comparata.

Ad primum ergo dicendum, quod li-
cet causa suprema sit necessaria, tamen
effectus potest esse contingens propter
causam proximam contingentem. Sicut
germinatio plantæ est contingens pro-
pter causam proximam contingentem, li-
cet motus Solis, qui est causa prima, sit
necessarius. Et similiter scita à Deo sunt
contingentia propter causas proximam, li-
cet scientia Dei, quæ est causa prima, sit
necessaria.

Ad secundum dicendum, quod quidam
dicunt: quod hoc antecedens Deus sciuit
hoc contingens futurum, non est neces-
sarium, sed contingens: quia licet sit præ-
teritum, tamen importat respectum ad fu-
turum. Sed hoc non tollit ei necessitatem,
quia id, quod habuit respectum ad futurum,
necesse est habuisse, licet etiam futurum
non sequatur quandoque. Alij vero di-
cunt hoc antecedens esse contingens,
quia est compositum ex necessario & con-
tingenti, sicut istud dictum est cōtingens,
Socratem

Socratem esse hominem album. Sed hoc etiam nihil est, quia cum dicitur, Deus scivit esse futurum hoc contingens, contingens non ponitur ibi nisi ut materia verbi, & non sicut principalis pars propositionis. Vnde contingentia eius, vel necessitas nihil refert ad hoc, quod propositio sit necessaria vel contingens, vera vel falsa. Ita enim potest esse verum, me dixisse hominem esse alinum, sicut me dixisse Socratem currere vel Deum esse, & eadem ratio est de necessario & contingenti. Vnde dicendum est, quod antecedens, est necessarium absolute. Nec tamen sequitur, ut quidam dicunt, quod consequens sit necessarium absolute: quia antecedens est causa remota consequentis: quod propter causam proximam contingens est. Sed hoc nihil est. Esset enim conditionalis falsa, cuius antecedens esset causa remota necessaria, & consequens effectus contingens. Vt puta, si dicerem, si Sol mouetur, herba germinabit. Et ideo aliter dicendum est, quod quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse, quod in se est, sed secundum quod est in anima. Aliud enim est esse rei in seipsa, & esse rei in anima, Vt puta, si dicam, si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est quod illud est immateriale, secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam, si Deus scivit aliquid, illud erit. Consequens intelligendum est prout subest diuinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentia. Et sic necessarium est sicut & antecedens. Quia omne quod est, quando est, necesse est esse, ut dicitur in primo perihermias.

Lib. 1. Perihermias. c. 8. declinando ad finem.

Ad tertium dicendum, quod quæ temporaliter in actum reducuntur, à nobis successiue cognoscuntur in tempore, sed à Deo in æternitate, quæ est supra tempus. Vnde nobis, quia cognoscimus futura contingentia in quantum talia sunt, certa esse non possunt, sed soli Deo cuius intelligere est in æternitate supra tempus. Sicut ille, qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt: sed ille, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam. Et ideo illud, quod scitur à nobis, oportet esse necessarium etiam secundum quod in se est: quia ea quæ in se sunt contingentia futura, à nobis sciri non possunt. Sed ea, quæ sunt scita à Deo oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt diuinæ scientiæ (ut dictum est) non autem absolute,

In cor. art.

secundum quod in proprijs causis considerantur. Vnde & hæc propositio, omne scitum à Deo necessarium est esse: conuenit distinguere, quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est diuisa & falsa, & est sensus, omnis res, quam Deus scit, est necessaria. Vel potest intelligi de dicto: & sic est composita & vera: & est sensus, hoc dictum scitum à Deo esse est necessarium. Sed obstant quidam dicentes, quod ista distinctio habet locum in formis separabilibus à subiecto. Vt si dicam, album possibile est esse nigrum. Quæ quidem de dicto est falsa, & de re est vera. Res enim quæ est alba, potest esse nigra, sed hoc dictum, album esse nigrum nunquam potest esse verum. In formis autem inseparabilibus à subiecto non habet locum prædicta distinctio. Vt si dicam, coruum nigrum possibile est esse album: quia in utroque sensu est falsa. Esse autem scitum à Deo est inseparabile à re, quia quod est scitum à Deo, non potest esse non scitum. Hæc autem instantia locum haberet, si hoc quod dico scitum importaret aliquam dispositionem subiecto inhaerentem: sed cum importet actum scientis ipsi rei scitæ, licet semper sciatur, potest aliquid attribui secundum se, quod non attribuitur ei in quantum stat sub actu sciendi. Sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei secundum quod est intelligibile.

Conclusio est affirmans, & verissima. Sed circa illam, & ea, quæ S. Thom. in a. docet, multa sunt discussione digna, quæ seq. disput. nobis examinanda sunt.

DISPUTATIO LXIV.

An Deus certo sciat futura contingentia ex ipsoꝝ præsentia reali in æternitate.

Secundum fidem Catholicam & philosophicam rationem Deum præscire omnia futura. cap. 1.

Ex sententia Ricardi & aliquorum Thomistarum futura contingentia præsentia sunt in æternitate & inde certo à Deo cognoscuntur. cap. 2.

Res non esse realiter præsentis æternitati ab æterno nec talem præsentiam esse rationem certitudinis scientiæ Dei, veterior opinio fert. cap. 3.

Satisfit argumentu prioris sententiæ. cap. 4.

Quid de hac præsentia senserit S. Thomas. cap. 5.

CAPVT I.

Secundum fidem Catholicam, & philosophicam rationem Deum præscire omnia futura.

VT statim præsentis disputationis intelligamus, notandum est, duo esse genera futurorum in vniuersum, quædam sunt necessaria omnino, quæ non solum à causa naturali, & ad vnum determinata proueniunt; sed neque naturali aliqua oppositione causarum impediri possunt,

Duplex futurorum generum.